

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris  
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

De sobrietate, quæ est specialiter circa potum. Qu[a]estio 149.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

234 QVÆ S T. CXLVIII. A R T. VI.  
seminis. Vnde super illud Ephes. 5. Fornicatio autem  
& omnis immunditia, &c. dicit glos. id est, incontinen-  
tia pertinens ad libidinem quocumque modo.

Ad primum ergo dicendum, quod latitia quæ est  
de actu peccati, vel sine, consequitur omne peccatum,  
maxime quod procedit ex habitu. Sed latitia vaga,  
incomposita, quæ hic dicitur inepta, præcipue oritur  
ex immoderata sumptuone cibi vel potus. Similiter  
etiam dicendum quod hebetudo sensus quantum ad eli-  
gibilia, communiter inuenitur in omni peccato. Sed  
hebetudo sensus circa speculabilia, maximè proce-  
*in co ar.* ex gula, ratione iam dicta \*.

Ad secundum dicendum, quod licet utilis sit vomi-  
tus post superfluam comedionem, tamen virtiosum est  
quod aliquis huic necessitatì se subdat per immoder-  
rantiam cibi vel potus. Potest tamen absque culpa  
vomitus procurari ex consilio medicinæ, in reme-  
dium alicuius languoris.

Ad tertium dicendum, quod scurrilitas procedit  
quidem ex aetate gulae, non autem ex actu luxurie, sed  
ex eius voluntate. Et ideo ad utrumque vitium po-  
test pertinere.

#### QVÆ S T. CXLIX.

*De sobrietate, in quatuor articulos diuisa.*  
**D**Enide considerandum est de sobrietate & vicio  
opposito, scilicet ebrietate.  
¶ Et circa sobrietatem queruntur quatuor.  
¶ Primo, quæ sit materia sobrietatis.  
¶ Secundo, utrum sit specialis virtus?  
¶ Tertio, utrum usus vini sit licitus?  
¶ Quarto, quibus præcipue competit sobrietas.

#### A R T I C . I.

720  
*Sup q. 143*  
*cor prin.* **V**erum materia sobrietatis sit potus ?  
**A**d primum sic proceditur. Videtur, quod materia  
propria sobrietatis non sit potus. Dicitur enim  
ad Rom. 12. Non plus sapere, quam oportet sapere,  
sed sapere ad sobrietatem. Ergo sobrietas est etiam  
circa sapientiam, & non solum circa potum.

¶ 2 Pz.

¶ 2 Præterea, Sap. 8. dicitur de Dei sapientia, quod sobrietatem & prudentiam docet, iustitiam, & virtutem: vbi sobrietatem ponit pro temperantia. Sed temperantia non solum est circa potus, sed etiam circa cibos & venerea. Ergo sobrietas non est solum circa potus.

¶ 3 Præterea, Nomen sobrietatis à mensura sumptū esse viderur. Sed in omnibus, quæ ad nos pertinent, debemus mensuram seruare: vnde dicitur ad Titum 2. Soberè, & iuste, & piè viuamus in hoc seculo: vbi dicit gloss. \* Sobriè in nobis. Et 1 ad Tim. 2. dicitur, Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate, ornantes se. Et sic videatur sobrietas esse non solum in interioribus, sed etiam in his quæ pertinent ad exteriorem habitum. Non ergo propria materia sobrietatis est potus.

S E D contra est, quod dicitur Ecclesiast. 3. Aequa vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud mode ratè, eris sobrius.

R E S P O N D E O dicendum, quod virtutes, quæ ab aliqua generali conditione virtutis nominantur, illam materiam sibi specialiter vendicant, in qua difficillimum & optimum est conditionem huiusmodi obseruare: sicut fortitudo, pericula mortis, & temperantia, delectationes tactus. Nomen autem sobrietatis sumitur à mensura. Dicitur enim aliquis sobrius, quasi briam, id est, mensuram seruans. Et ideo illam materiam specialiter sibi sobrietas ascribit, in qua maximè laudabile est mensuram seruare. Huiusmodi autem est potus inebriare valens: quia eius usus mensuratus multum confert, & modicus excessus multum lœdit, quia impedit usum rationis, magis eriam quam excessus cibi. Vnde dicitur Eccl. 3. 1. Sanitas est animæ & corporis, sobrius potus. Vinum multum potatum irritacionem & iram, & ruinas multas facit. Et ideo specialiter sobrietas attenditur circa potum, non quemcumque, sed eum, qui sua fumositate natus est caput conturbare, sicut vinum & omne quod inebriare potest. Communiter autem sumendo nomen sobrietatis, potest in qua-

*gl. interl.*  
*ibid.*

## QVÆST. CXLIX. ART. I.

q. 123. a.  
2. et q. 141  
art. 2.

quacumque materia dici; sicut & supra dictū est\*, de fortitudine & temperantia.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut vinum mat riale inebriat corporaliter, ita etiam metaphorice consideratio sapientiae dicitur potus inebrians, propter hoc quod sua delectatione animum afficit: secundum illud Psalm. 22. Calix meus inebrians quam praeclarus est. Et ideo circa contemplationem sapientiae per similitudinem quandam sobrietas dicitur.

Ad secundum dicendum, quod omnia quæ ad tem perantiam propriæ pertinent, necessaria sunt praesenti vitæ, & eorum excessus nocet. Et ideo in omnibus ne cessarium est adhibere mensuram: quod pertinet ad officium sobrietatis. Propter quod nomine sobrietatis temperantia significatur. Sed modicus excessus in potu plus nocet, quam in alijs: & ideo sobrietas spe cialiter est circa potum.

Ad tertium dicendum, quod quamvis mensura in omnibus requiratur, non tamen sobrietas propriæ, omnibus dicitur, sed in quibus mensura est maxime necessaria.

721

\* 2. Cor. 5  
Iec. 3. co.  
5. pri. Et  
Ti. 2. Iec.  
3. co. 2.

## ARTIC. II.

*Vtrum sobrietas sit per se virtus specialis?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod sobrie tias nō sit per se quædam specialis virtus. Abstinen tia enim attendit & circa cibos & circa potus. Sed circa cibos non est specialiter aliqua specialis virtus. Ergo nec sobrietas, quæ est circa potum, est aliqua specialis virtus.

¶ 2. Præterea, Abstinencia & gula sunt circa lectiones tactus, in quantum sensus est alimentorum cibus & potus simul cedunt in alimentum: simul em indiger animal nutriti humido & sicco. Ergo sobrie tas, quæ est circa potum, non est specialis virtus.

¶ 3. Præterea, Sicut in his quæ ad nutritionem per tinent, distinguitur cibus à potu, ita etiam distinguuntur diuersa genera ciborum. & diuersa genera potū. Si ergo sobrietas esset per se quædam specialis vir

161

tus, videatur quod circa quamlibet differentiam potus vel cibi, sit quædam specialis virtus: quod est inconueniens. Non ergo videtur, quod sobrietas sit specialis virtus.

SED contra est, quod \* Macrobius ponit sobrietatem speciale partem temperantiae.

R E S P O N D E O dicendum, quod sicut supra dictum est \*, ad virtutem moralem pertinet conseruare bonum rationis contra ea, quibus potest impediri. Et ideo ubi inuenitur speciale impedimentum rationis, ibi necesse est esse speciale virtutem ad illud remouendum. Potus autem inebrians habet specialem rationem impediendi usum rationis, in quantum scilicet perturbat cerebrum sua fumositate. Et ideo ad remouendum hoc impedimentum rationis, requiritur specialis virtus, quæ est sobrietas.

Ad primū ergo dicendum, quod cibus & potus communiter impediunt possunt bonum rationis, absorbēdo eam per immoderatam delectationis. Et quantum ad hoc communiter circa cibum & potum est abstinentia. Sed potus inebriare valens, impedit speciali ratione, ut dictum est \*. Et ideo requirit speciale virtutem.

Ad secundum dicendum, quod virtus abstinentiae non est circa cibos & potus, in quantum sunt nutritiva, sed in quantum impediunt rationem. Et ideo non oportet quod specialitas virtutis attendatur secundum rationem nutritionis.

Ad tertium dicendum, quod in omnibus potibus inebriare valentibus est una & eadem ratio impediendi rationis usum. Et sic illa potum diuersitas, per accidens se haber ad virtutem. Et propter hoc secundum huiusmodi diuersitatem, virtutes non diuersificantur. Et eadem ratio est de diuersitate ciborum.

Vtrum v̄sus vini totaliter sit illicitus?

**A**d tertium sic proceditur. Videatur, quod v̄sus vi-  
ni totaliter sit illicitus. Sine sapientia enim non  
potest aliquis esse in statu salutis. Dicitur enim Sap. 7,  
Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia  
inhabitat. Et infra 9. Per sapientiam sanati sunt, qui  
cumque placuerunt tibi Domine à principio. Sed v̄s  
vini impedit sapientiam: dicitur enim Ecclesiast. 2.  
Cogitau in corde meo abstrahere à vino carnes  
meas, ut transferrem animum meum ad sapientiam.  
Ergo potus vini est vniuersaliter illicitus.

¶ 2. Præterea, Apostolus dicit ad Roman. 14. Bo-  
num est non manducare carnem, & nō bibere vinum,  
neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur,  
aut infirmatur. Sed cestare à bono virtutis est vicio-  
sum, & similiter fratribus scandalum ponere. Ergo vi-  
vino est illicitum.

Habetur  
dis. 25. c.  
Ab exor-  
dio, ex  
Hier. 1.1  
soner. 10  
usian. 2.3.

¶ 3. Præterea, Hieronym.\* dicit, quod vinum cum  
carnibus post diluvium est dedicatum. Christus autem  
venit in fine seculorum, & extremitatem retraxit à  
principio. Ergo tempore Christianæ legis videatur  
esse illicitum vti vino.

S E D contra est, quod Apost. dicit 1. ad Timot.,  
Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino, etc. propter  
stomacum tuum, & frequentes tuas infirmi-  
tates. Et Eccles. 31. dicitur, Exultatio animæ & co-  
dis, vinum moderatè potatum.

R E S P O N D E O dicendum, quod nullus citus  
vel potus secundum se consideratus, est illicitus, secun-  
dum sententiam Domini dicens Matth. 15. Non quod  
intrat in os, coinquiat hominem. Et ideo bibere vi-  
num, secundum se loquendo, non est illicitum: potest  
tamen reddi illicitū per accidens. Quandoque quidē  
ex condicione bibentis, quia vino de facili ladiet,  
vel quia ex speciali voto obligatur ad vinum non bi-  
bendum. Quandoque autem ex modo bibendi, quia  
scilicet menturam in bibendo excedit. Quandoque  
autem

autem ex parte aliorum, qui ex hoc scandalizarentur.  
Ad primum ergo dicendum, quod sapientia potest  
haberi dupliciter. Vno modo, secundum modum com-  
munem, prout sufficit ad salutem. Et sic non requiri-  
tur ad sapientiam habendam, quod aliquis a vino om-  
nino abstineat, sed quod abstineat ab immoderato  
visu vini. Alio modo, secundum quandam perfectio-  
nis gradum. Et sic requiritur in aliquibus ad perfecte-  
sapientiam percipiendam, quod omnino a vino absti-  
neant, secundum conditiones quarundam personarum  
& locorum.

Ad secundum dicendum, quod Apostolus non sim-  
pliciter dicit bonum esse abstinere a vino, sed in casu  
in quo ex hoc aliqui scandalizantur.

Ad tertium dicendum, quod Christus retrahit nos  
a quibusdam sicut omnino illicitis, a quibusdam vero  
sicut ab impedimentis perfectionis. Et hoc modo re-  
trahit aliquos a vino proper studium perfectionis, si-  
c ut & a diuitijs & alijs huiusmodi.

## ARTIC. IV.

*Vtrum sobrietas magis requiratur in maioribus  
personis?*

Ad quartum sic proceditur. Viderunt, quod sobrie-  
tas magis requiratur in maioribus personis. Sene-  
cetus enim excellentiam quandam homini praestat. Un-  
de & senibus honor & reverentia debetur: secundum  
illud Leuit. 19. Coram cano capite confurge, & ho-  
nora personam senis. Sed Apostolus specialiter senes  
dicit esse ad sobrietatem exhortandos, secundum il-  
lad ad Titum 2. Senes, ut sobrij sint. Ergo sobrietas  
maxime requiritur in excellentioribus personis.

¶ 2 Præterea, Episcopus in ecclesia excellenti-  
sum gradum habet, cui per Apostolum indicatur  
sobrietas, secundum illud primæ ad Tim. 3. Oportet  
Episcopum irreprochensibilem esse, viarius uxoris vi-  
rum, sobrium, prudentem, &c. Ergo sobrietas maxi-  
mè requiritur in personis excellentioribus.

¶ 3 Præterea, Sobrietas importat abstinentiam a  
vino

723

1. Tim. 2.  
te. 2. 10. 3.

240 QVÆST. CXLIX. A R T. IV.

vino. Sed vinum interdicitur regibus, qui tenent summum locum in humanis rebus: conceditur autem his qui sunt in statu desolationis, secundum illud Proverb. 31. Noli regibus dare vinum. & postea subdit, Date siceram merentibus, & vinum his qui amantur animo. Ergo sobrietas magis requiritur in excellentioribus personis.

SED contra est, quod Apostolus dicit primz ad Timoth. tertio, Mulieres similiter pudicas, sobrias, &c. Et ad Titum secundo dicitur, Iuuenes similiter tractare ut sobrij sint.

RESPONDEO dicendum, quod virtus habet habitudinem ad duo. Vno quidem modo ad contraria vitia, quæ excludit, & concupiscentias quæ refrænat. Alio modo, ad finem in quem perducit. Sic ergo aliqua virtus magis requiritur in aliquibus, dupli ratione. Vno modo, quia in eis est maior pronitas ad concupiscentias, quas operat per virtutem refrænari; & ad vitia, quæ per virtutem tolluntur. Et secundum hoc, sobrieras maximè requiruntur in iuuenibus & mulieribus: quia in iuuenibus viget concupiscentia delectabilis propria feruorem etatis. In mulieribus autem non est sufficientia robur mentis, ad hoc quod concupiscentias resistant. Vnde secundum Valerium Maximum\*, mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vnum. Alio verò modo sobrieras magis requiruntur in aliquibus, ut pote magis necessaria ad propriam rationem ipsorum. Vinum autem immoderatè sumptum præcipue impedit usum rationis. Et ideo fenus, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditum; & Episcopis seu quibuslibet ecclesie ministri, qui mente deuota debent spiritualibus officijs ministrare; & regibus, qui per sapientiam debent populum subditum gubernare: specialiter sobrietas indicetur.

Et per hoc patet responsio Ad obiecta.

QVÆ.

*l.2.c.1.in  
titulo de  
usu vini  
mulieri-  
bus inter  
dicto.*